

cum Rogerii Siculi filia conciliandis, Almi quoque fratriis opera  
vsum fuisse. Tamen breuis aei fuit, vt solet, haec fra-  
trum concordia: mox enim internecina odia, atque ex his bel-  
la ciuilia secuta sunt, quae omnem omnino Hungariam contur-  
bauerunt. Assentatorum malignitate effectum est, ait *Ranza-*  
*nus* l. c. vt, dum viuerent, odiis inter se decertarent implaca-  
bilis. Facile assentatores hi vtrique fratum persuaserant,  
mutuis insidiis perituros: siue quod Colomanum pertaesí, (in  
quo, scribente *Bonfinio*, libido potius, quam ratio dominare-  
tur, et cuius animus crudelitate magis, quam humanitate de-  
lectaretur, quiq[ue] esset difficilis, morosus, suspicionibus ac  
furori nimis obnoxius,) Almum regem optarent, cui iam La-  
dislaus rex regnum destinauerat; siue quod eum Ducem, qui  
fratri regnum ignauo consilio cessisse videretur, fastidirent. Igi-  
tur ad arma ventum est. Conscriptus vtrique miles, dedu-  
ctusque ad Varkun, (oppidum ad Tibisci olim marginem se-  
dit, et putat ex eorum numero fuisse *Lucius*, quae ad Duca-  
tum Almi pertinuerint.) Hunc locum pugnae delegerant. At  
miles Hungarus, fratum odia non ad se magnopere pertinere  
ratus, aliquot dierum inducias, sopiendae discordiae, pacisci-  
tur; mox solenni decreto, singulari certamine dimicare fratres  
iubet, si quidem saeva pugnandi libidine capiantur; victorem  
pro rege deinceps omnibus futurum. Hac gentis prouidentia  
factum est, vt omni certamine declinato, fratres ab armis, et-  
si inuiti, discederent. *Thuroc.* II. 60. *Révay Cent.* II. p. 8.  
*Nam cum Colomanus*, vt aiunt, *luscus*, *claudus*, et *gibbosus*  
esset, non aequo Marte cum Almo certare posse videbatur: ver-  
ba sunt *Bonfinii* II. 5. Quid si eadem vtrique mens sedidit, quam  
fuisse legimus recentiore aevo fortissimo principi; nimirum,  
non oportere congredi eos singulari certamine, quibus essent  
millia hominum pro se decertantium.

Primis haec duodecimi Saeculi annis gesta sunt, si quidem  
Thurocio et Bonfinio fides. Almus, fratriis insidias, vt scri-  
bunt, veritus, vel potius vt Noricos et Vindelicos in Colo-